

101
u

PRO SANCTISSIMO
LIBRO CHRISTIANÆ
CONCORDIÆ

DISPUTATIO VNDECIMA

De Persona Salvatoris nostri Iesu Christi
QVINQUE CAPITVM

1. *De unione personali duarum naturarum in Christo.*
2. *De effectu unionis, qui est idiomatum communicatio.*
3. *De duplici consideratione naturarum in Christo.*
4. *De abstracto & concreto.*
5. *De communicatione quid ea & qualis sit yevixōe*

De quibus

SVB PRAESIDIO SALOMONIS GESNE-
RI S. Theologiæ Doctoris & Professoris V Vitebergæ
cum Deco ad d. 10. Aprilis Anno 1594.
respondebit.

IOHANNES MULLERVS Havelbergensis.



VVITEBERGAE,

Typis Zachariae Lehmanni, Anno M. D. XCIIII.

SYMBOLVM QVARTÆ
SYNODI OECVMENICÆ. QVÆ
convocatis à Martiano Imperatore 636. patribus
Chalcedone in Bithynia super controversia Eu-
tychis & Dioscori habita est Anno Christi 451,
vt recitatur ab Evagriō libro

2, cap : 4.

Επίμενοι τοῖς ἁγίοις πατέραςιν ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ὁμολογῶμεν
ἕνον, τὸν κύριον ἡμῶν ἰησοῦν χριστὸν, καὶ συμφώνως ἀπάντως
ἀπιδιδάσκωμεν, καὶ τέλειον αὐτὸν ἐν θεϊότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐ-
τὸν ἐν τῇ ἀνθρωπότητι, θεὸν ἀληθῶς, καὶ ἀνθρώπου ἀληθῶς, καὶ τὸν αὐ-
τὸν ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος ὁμοῦσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεο-
ότητα, καὶ ὁμοῦσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, καὶ πάντα ὅμοιον ἡμῖν,
χωρὶς ἁμαρτίας: πρὸ αἰῶνων μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν
θεϊότητα, ἐπ' ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν διὰ ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν
ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ μακρῆς τῆς παρθένου καὶ θεοτικῆς κατὰ τὴν
ἀνθρωπότητα, ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ἰησοῦν χριστὸν ἕνον τῷ θεῷ κύριον μονο-
γενῆ ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως,
γνωριζόμενον: ἕδαμῶς τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνηρημένης διὰ
τὴν ἑνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ιδιότητος ἐκατέρας φύσεως καὶ
εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συνληχέσεως, ἕως εἰς δύο πρόσωπα
μεριζόμενον ἢ διακείμενον, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ἕνον μονογενῆ θεὸν
λόγον καὶ κύριον ἰησοῦν χριστὸν.

CAPVT

CAPVT PRIMVM DE VNI-
ONE PERSONALI DVARVM
naturarum in Christo.

Thesis I.

rdo capitum libri concordiae flagitat ut de Persona Christi differamus. Hæc enim controversia ex superiore de sacra cœna orta partim propter aduersarios Calvinistas, partim propter falsos fratres in concordie libro pertractata est.

II.

Itaque nos etiam hunc fidei nostræ articulum ita excutiemus ut non modo vera sententiam exponamus & ex scriptura solide demonstramus, sed cauillationibus quoque tum eorum, qui ex professo sunt Calvinistæ, tum eorum, qui sub Lutheranorum integumento calvinismum in sinu alunt, occurramus.

III.

Ac vt ordine omnia tradantur, agemus de Mysterio Personæ saluatoris nostri Iesu Christi Sex istis capitibus. Principio enim de duabus naturis Christi & earum Personali vnione inquirendum erit. Deinde de effectu vnionis, qui in communicatione proprietatum conspicitur, differendum. Tertio, cum idiomatum communicatio distinctos quasi gradus habeat, de primo genere, quod *idio mixtum* nuncupant, seorsim suscipienda explicatio. Quarto, cum inter nos & aduersarios maximè disceptetur de Majestate divina, quam nos carni Christi propter vnionem personalem communicatam asserimus, idcirco quid de ea credendum sit in genere demonstrabimus. Sed cum hic gradus certas in se quasi species complectatur, ideo seorsim quinto

A 2 capite

capite de singulis videbimus : Et ultimo denique capite officium
Salvatoris nostri Iesu Christi considerabimus. Hac verò dis-
putatione prima duo capita excussisse sufficiet.

IV.

In his explicandis ductum Spiritus sancti, quem Iohannis
cap. primo expressum habemus, sequemur, & eòdem ea, quæ in
symbolo nostro Concordiæ traduntur, applicabimus.

V.

Dux natu-
ræ in Chri-
sto.

Credimus itaque & confitemur Personam Domini nostri
Iesu Christi Emmanuelis & Θεανδρώπης ex duabus & in duabus
naturis, divina & humana, personaliter vnitis subsistere; & quod
in persona Christi sit ἄλλο καὶ ἄλλο non autem ἄλλος καὶ ἄλλος, vt
Gregorius Nazianz. apud Theodor: dial: 2. locutus est. Nam
ἄλλο naturam, ἄλλος personam notat. Dam: 1, 3. c. 7.

VI.

Divina Christi natura juxta synodi Nicenæ patrum 318.
confessionem, est secunda persona S. Trinitatis, Filius Dei vnig-
genitus, & ex Patre natus ante omnia secula, Deus de Deo, seu,
ex Deo, vt Basilus, Epiphanius, & Athanasius habent, lumen
de Lumine, Deus verus de Deo vero, genitus, non factus, con-
substantialis Patri, per quem omnia facta sunt. Ac quod Chris-
tus sit verus Deus & æterno Patri secundum divinitatem ὁμοούσι-
ος id Iohannis capite primo multis argumentis contra Ebionem,
Cerinthum & alios, qui divinitatem Christi negabant, demon-
stratum est.

VII.

Humana verò natura in Christo non persona, sed natura,
est secundum quam Christus, vt loquitur symbolum Chalcedo-
nense, est perfectus in humanitate verus homo, constans anima
rationali, ὁμοούσιος & consubstantialis nobis, per omnia nobis
æqua-

æqualis, excepto peccato, in extremis diebus propter nos & propter nostram salutem ex beata virgine & Deipara genitus. Sicut historia conceptionis, natiuitatis, totius vitæ, passionis de- ni- que & mortis ac Resurrectionis idipsum luculenter ostendit.

VIII.

Duas istas naturas, divinam & humanam, integras cum omnibus suis proprietatibus, credimus, inconfuse, immutabili- ter, indivise, in-segregabiliter vnitas, haudquaquam naturarum differentias tollente vnione, vt patres Chalcedonenses 636. lo- cuti sunt.

IX.

Proinde cum D. Athanasio confitemur, quod vnus sit Christus, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptio- ne humanitatis in Deum: vnus omnino non confusione essen- tiæ sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: sic Deus & homo vnus est Christus.

Vnio dua- rum natu- rarum.

X.

Naturæ verò vt absque proprietatibus non sunt, ita per easdem à nobis agnoscuntur. Quapropter divinitatis & τῆ λόγῃ proprium respectu patris & sanctæ Trinitatis est, nasci ex substan- tia patris ante omnia secula, Psal: 2. esse imaginem & ἀπαύγασμα substantiæ seu Personæ patris, Heb. 1. Col. 1. esse unigenitum filium aeterni patris Ioh. 5. & 8. Matth. 26. Atque hic proprius τῆ λόγῃ character est, quo à patre & spiritu sancto discernitur, intra S. Trinitatis arcanum complexum.

Propria divinitatis.

XI.

Quo ad extra vero λόγῃ vnà cum Patre & spiritu Sancto id habet commune, quod tamen respectu humanæ naturæ & cre- aturarum eius proprium rectè nuncupatur, quòd nimirum natura sua est omnipotens, omniscius, vbique præsens, &c, quæ omnia in Redemptione generis humani, collectione & gubernatione

A 3 tione



tione Ecclesiæ, tanquam opere sibi peculiari, (licet ab eo opere Pater & Spiritus sanctus minime sint exclusi, Ioh. 5. & 16.) maximè ostendit & declaravit.

XII.

Humanæ naturæ in Christo propria sunt partim *κατὰ τὴν φύσιν* cum alijs hominibus communia, partim *ὡπὲρ τὴν φύσιν* peculiare prerogativæ & dona tum quo ad animi sapientiam, tum quo ad corporis integritatem & nobilissimas vires, quibus pulchrior est Christus præ omnibus filijs hominum Psal: 45. & iterum alia, quæ ad hanc terrenam vitam, alia quæ ad conditionem glorificatorum corporum in vita cœlesti pertinent.

XIII.

Propria
humani-
tatis.

Psal: 16.
Act: 20

Quod igitur ad *δυσχέρεια* hujus vitæ attinet, habet Christus non modo essentiam integri corporis humani omnibus partibus & membris absolutam & animam rationalem omnibus facultatibus animæ humanæ præditam, quam semel assumptam nunquam deponit, sed præterea etiam omnia accidentia animæ & corporis, absque peccato. Ita enim juxta quantitatem crescit *τῆ ἡλικία* statura & annorum numero, vnumque numero corpus, vnam numero animam rationalem assumit. Juxta qualitatem proficit sapientia, & singulari industria sibi animæ ac corporis habitus, ut alius homo, comparat. Affectus etiam licet omni peccato carrentes ostendit. Ac quamvis nullis malis obnoxiam accepit carnem, quæ ipsa suæ naturæ conditione est *ἀσθηπὴς*, putredini non obnoxia, ut Hippolitus apud Theodoretum dial: 1. loquitur; tamen ultro sese submittit omnibus naturæ nostræ infirmitatibus & morti, excepto semper peccato, Ebr, 7. Secundum relationem denique eidem competunt omnes actiones & passionis & reliqua attributa humanæ naturæ. Vide testimonia Irenæi apud Theodoret: dial. 1. f: 16.

XIV.

Postquam verò Christus ex hac mortali vita in æternam translatus

translatus est, non quidem essentiam animæ & corporis deseruit, sed tamen accidentia HVIVS TERRENAE CONVERSATIONIS deposuit, & formam servilem abiecit Phil: 2. omnemque conditionem corporum glorificatorum & Spiritualium accepit. Luc. 20. Matth. 17. 1. Cor. 15. Phil. 3. Quam gloriam oculus non vidit, auris non audivit, cor hominis non intellexit Esa. 64. 1, Cor. 2.

XV.

Atque hæc omnia propria & in singulis longè majores, quàm in omnibus hominibus & angelis, excellentiæ & dignitates, atque men finitæ & creatæ, insunt animæ & corpori Christi subiectivè, habitualiter, eo modo, quo accidentia proprijs subiectis insunt.

XVI.

Hæc de duabus naturis earumque proprietatibus in Christo sufficient. Nunc ad unionem naturarum accedendum, quæ ut eo rectius intelligatur, removendæ sunt illæ unionis species, quas hæretici sibi fixerunt. Sic enim ex sufficiente enumeratione eam colligemus unionem, quæ testimonio scripturarum Christo competit.

XVII.

Cum enim unius, τὸ ἐνός, eadem sit partitio, quæ est Entis, τὸ ὄντος: idcirco omnis unio, quæ est ex multis compositio, vel in substantia fiet, vel in accidente: & in substantia vel prima vel secunda. Fuerunt hæretici, qui unam σὺνθεσιν φύσιν & ὑπόστασιν Christi comminiscerentur, contra quos multis argumentis pugnat Damascenus lib. 3. cap. 3. Humanam naturam abolitam inque diuinitatem conversam olim Eutyches & nostro seculo Stenckfeldius somniauit: sicut contra non defuerunt, qui λόγον in carnem commutatum esse dicerent. Contra verosque dialogus Theodoretus primus luculentè disputat, qui idcirco ἀτρέπτως

Varia species unionis.



ἀτρέπτες nominatur, quòd tum ex scriptura tum ex orthodoxis patribus ostendit, in Personali vnione naturarum in Christo nullam esse τροπήν conversionem vel humanitatis in divinitatem, vel divinitatis in humanitatem. Nam λόγος, quod erat, mansit, & quod non erat assumpsit.

XVIII.

Neque enim ita vnitæ sunt duæ in Christo naturæ, sicut ex quatuor humoribus, ex partibus similaribus & dissimilaribus corpus humanum compositum est. Ita enim nec aeterno Patri, nec Mariæ matri & nobis esset ὁμοίσιος. Sed vt corpus compositum non est ὁμοίσιον elementis, ex quibus conflatum est: Ita hic quoque Christus esset ἐξ ἐτέρων ἕτερον diversa quædam ex diversis composita species.

XIX.

Neque porro divina & humana natura in Christo ita convenerunt, sicut anima & corpus hominem, hoc est, speciem constituunt, qui nec anima nec corpus, sed tertia species è duabus diversis speciebus composita est. Licet eatenus, quatenus anima & corpus ad se invicem in homine affecta sunt, similitudo hominis ad declarandum vnionis hypostaticæ mysterium rectè à sanctis patribus adhibitum sit. Convenit enim κατὰ τὴν τῶν ἐνωθέντων εἰς ἀλλήλα περιχώρησιν, juxta arctissimum rerum vnitarum complexum, non convenit κατὰ τὸ σιώθετον juxta ipsius compositi rationem. Christus enim non est species sicut homo, sed est ὑφιστάμενον μοναδικόν, cujus simile in coelo & in terra non extat. Quemadmodum in eo quoque vnio naturarum in Christo distat ab vnione animæ & corporis, si τὸ τελειωτικόν spectemus, vt enim anima est corporis organici ἐπιπέχεια, ita corpus est animæ ὄργανον, & hoc ab illa & illa ab hoc perficitur ac absoluitur, adeò, vt animæ corporibus soluta πλείωσιν suam, quam tum demum, cum suis domicilijs vicissim jungentur, adepturæ sunt, cum desiderio

derio expectent. In Christo vero alia est ratio. Nam hic λόγος quidem perficit humanam naturam, quam in suam personam assumpsit, non autem perficitur ab assumpta Carne.

XX.

Sed nec ejusmodi hæc unio est, quæ fit κατὰ φύσιν, qualis est, cum farinam aqua subigimus & tot granula in unam massam redigimus, quæ panis nuncupatur. Nec est unio κατὰ σύγκρυσιν ut cum guttula vini in immensum pelagus infunditur ibidemque penitus consumitur. Nec est unio κατὰ σύγκρυσιν, veluti cum ex aqua & melle fit mulsum, aut cum ex diversis speciebus theriacæ aut pannacæa commiscetur. Quemadmodum Dioscorus & Severus olim insaniuerunt. Et tot ferè sunt modi, quibus substantiæ naturaliter in unam σωθετην φύσιν seu ἕσιν, quæ species ex diversis speciebus constituta emergit, componi & uniri possunt.

XXI.

Supereft suprema illa unio, qua tres Personæ divinitatis sunt vnus Deus & μία ἕσις simplicissima. Sed nec ea convenit naturis in Christo. Sic enim esset abolita humanitas & in ἀνοπαξίᾳ redacta; Sic non esset Emmanuel & Θεάνθρωπος, & nobis ὁμοῖος.

XXII.

Quod si nulla unio in substantia convenit Christo, videndum porrò, an aliqua, quæ fit in accidentibus conveniat. In quantitate igitur continua ea uniantur, quæ κατὰ συνέψιν fiunt ἐν ἡ συνεχῆς continuum: Verbi causa, cum duo asseres γόμφω clavo aut vinculo & cathena combinantur, vel quando diversæ tabulæ τῆ κόλλη glutino in unam mensā conglutinantur, vel quemadmodum corpora in mundi systemate τῆ ἀφῆ & contactu unum solidum uniuersitatis corpus absque interueniente vacuo

B

abso

absolvunt, vel denique sicut partes & membra corporis, aut ut rami, cortex, radices, truncus in arborem vnam τῆ συμφύσει cono- natae sunt. Quod si jam istas omnes species, & si praeter istas etiam aliae reperiuntur, excutiamus: nulla prorsus vnioni dua- rum in Christo naturarum competit.

XXIII.

Quemadmodum etiam illae ἐνώσεις huc accommodari ne- queunt, quae ex discreta quantitate oriuntur. Neque enim est συσσωρευσις quemadmodum cum multa grana vnum acer- vum constituunt: neque est ἀρμονία, quando multae voces vnum concentum absolvunt: neque παράθεσις vel ἐπίθεσις cum ligna in- struem, lapides in aedificium construuntur.

XXIV.

Eodem pacto remotae sunt ab hoc mysterio illae ἐνώσεις, quae in qualitatibus fiunt, quales sunt amicorum κατὰ ὁμόνοιαν quando idem sentiunt, vel ταυτοβουλίαν, qua idem volunt. Et multo denique remotiores illae, quae sunt κατὰ σχέσιν in relatio- ne, utpote κατ' ἀξίαν juxta dignitatem, κατὰ ὁμοτιμίαν, honoris equalitatem, κατὰ ὁμωνυμίαν nominis similitudinem, κατὰ εὐδο- κίαν aestimationem & reputationem. Quo etiam pertinent ea, quae situ aut loco conveniunt & κατὰ παράστασιν secundum as- sistentiam vniantur: sicut Deus adest omnibus creaturis, & Ec- clesiae cum militanti tum triumphanti & sanctis hominibus atque electis angelis.

XXV.

Quamvis olim Nestorius, Theodorus & Diodorus eiusmodi χειρικήν καὶ παραστατικήν vnionem Christo affinxerint, à qua opinione parum profecto absunt Calviniani, ut suo loco vide- bimus.

Qualis

XXVI.

Qualis igitur tandem hæc erit unio? Ex ista enumeratio-
 ne parata responsio. Nam quod duæ naturæ in accidente sint
 solummodo unitæ, id vero omnium absurdorum longè absur-
 dissimum. Relinquitur itaque eas in substantia esse unitas. Sed
 in ἁπλᾶ & φύσει non possunt. Sive enim in simplicem ἁπλῶν con-
 uenisse, sive in συνθετοῦ quoquomodo coaluisse dicas impium
 est. Restat igitur ex sufficiente partitione ὑπόστασις, in qua
 unionem duarum naturarum in Christo factam esse necesse est.
 Ac cum quælibet unio à principio seu termino ἐνοποιῶ, in quo
 unita conveniunt, definiatur & denominetur: idcirco hæc unio
 merito hypostatica appellatur. Constat enim Persona Christi ex
 duabus, & subsistit in duabus naturis, non quidem ἕτερον ἐξ
 ἑτέρων aliud ex alijs sed αὐταὶ αἱ φύσεις ipsæ duæ naturæ in pers-
 onam unitæ, (vt Damascenus loquitur l. 3. cap. 3.)

XXVII.

Est autem personalis unio talis unio, qua λόγος in se per-
 manens immutabilis assumpsit humanam naturam, & eam non
 modo gestat ac sustentat, sed illam integram & nobis per omnia
 ὁμοῦσιον, excepto peccato, in ipsum a Deum, seu, in ipsam b Deit-
 tatem, inque S. Trinitatis c substantiam atque Consortium eue-
 hit. Cui assumptæ humanæ naturæ seipsum d totum ὁ λόγος sec-
 cundum suam hypostasim uniuert, seque ipsum e totum suamque
 personam assumptæ & personaliter unitæ carni communicauit.
 Vnde Caro illa in ipsam Deitatem euecta, facta est f Dominus
 omnium in coelo & in terra, & Majestate g Deitatis glorificata, &
 particeps h Divinitatis, & filij Dei plenè i capax, & divinæ

Quid sit
 unio pera-
 sonalis.

B 2

naturæ



κ̄ naturæ κ̄ινωνός, verè particeps. Quemadmodum & λόγος
omnia assumtæ carnis propria & omnes infirmitates verè in se
recepit sibi que appropriavit. Atque ita vnus est Christus Deus
& homo ex duabus & in duabus naturis, diuina & humana, subsi-
stens, qui totum opus redemptionis nostræ expeditum dedit, ope-
rante utraque natura, quod proprium cuique est, cum C O M-
M V N I O N E alterius.

*a. Athan. symb b. i. piph. contra Arriūman. & Lutherus in confess.
Maioire. c. Ambros. de fide Resurr. d. Canon Ephesin. 2. e Damascen. l.
3. cap. 6. & 8. Athanas. in epist. ad Epiēt. Euseb. Demonstr. Euang.
l. 4. cap. 13. f. Basil. l. 2. contra Eunomium. Athanas. de salutari aduent.
Christi enarrans dictum Petri Act. 2. v. 36. g August. contra Felician. h
Basil. in S. Christi Natiuit. i Origen. l. 4. princ. k Damasc. orat. 3.
Imag.*

XXVIII.

Atque hoc planè modo orthodoxa Antiquitas ex sacris lite-
ris semper interpretata est. propositionem illam Θεαρχεινήν :
V E R B V M C A R O factum est. Factum nimirum ἀτρέπτως,
ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίως, vt symbolum Athanasij &
Chalcedonensium patrum loquitur, & ἀδιαστάτως ἐν δυοῖ φύσει
τελείως ἐχέσαις μίαν ὑπόστασιν. absque omni distantia in duabus
perfectis naturis habentibus vnā hypostasin ; Ita enim Damasc.
lib. 3. cap. 3. τὸ ἀχωρίως interpretatur.

CAPUT SECUNDUM.

*De effectu hypostatica vnionis, qui est idiomatum communica-
tio, & principio quidem, an sit.*

Differens

Theſ: I

Differentiæ ſpecificæ loco in adducta definitione poſita eſt idiomatum ſeu proprietatum communicatio: cujus rei ratio tum ex ſcriptura tum ex perpetuo Eccleſiæ teſtimonio reddi po-
reſt.

Quod vni-
o perſonas
lis per com-
municati-
onem idi-
omatum
definienda
ſit.

II.

Cum enim myſterium Incarnationis ſit ὑπὲρ νῶν, ὑπὲρ λό-
γον, ὑπὲρ καὶ ἀληψιν, vt Iuſtinus ait, & ſit ἀφραστον καὶ ἀρρητον, quod
nec mente concipere nec lingua eloqui poſſumus: Idcirco ſpiri-
tus ſanctus ad noſtram descendens imbecillitatem & ingenij ſtu-
porem tantum hoc arcanum à poſteriore & ab effectu aliquomo-
do nobis æſtimandum propoſuit.

III.

Quoties enim ſcriptura Incarnationis τῷ λόγῳ meminit
ilico communicationem proprietatum adjungit. Id quod ex iſtis
paucis videre eſt. Neque enim diſſimilia ſunt, quæ alibi in ſcrip-
tura de hoc negotio reperiuntur.

III.

Vnionem perſonalem ordinaria ſua ſede tradit Spiritus
Sanctus Ioh. I. cum dicit: verbum caro factum eſt. Qualis au-
tem ea ſit vnio, id inde quodammodo intelligi poſſe docet, quod
λόγος in tabernaculo ſui corporis inter nos habitauit, & quod
nos vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam vnigeniti à Patre,
plenum gratia & veritate. Quæ verba communicationem idio-
matum proponere luce meridiana clarius eſt.

V.

Baptiſta eodem capite de incarnatione τῷ λόγῳ loquitur,
cum dicit, qui poſt me venit, nimirum in carnem, ante me fuit.
Distinguit enim duas Chriſti natiuitates, vnã æternam, alte-
ram temporalem. Qualis autem iſta temporalis ſit filij Dei na-
tivitytas.

B 3

tivitytas.



rivitas id ex consequente fructu & effectu considerandum ibi-
dem proponit: Ex plenitudine, inquit, eius nos omnes accipi-
mus gratiam pro gratia.

V I.

Idem Baptista Ioh. 3. de Incarnatione disserit, cum ait,
Quem misit Deus, nimirum in carnem factum de muliere: &
quomodo id factum nobisque manifestatum sit, mox adjicit. Non
ad certam mensuram Deus dat spiritum: Pater diligit Filium &
omnia dedit illi in manum.

V I I.

Sic Apostolus Paulus ad Col: 1. unionem personalem
istis verbis describit: In ipso complacitum est totam plenitudi-
nem inhabitare. Cujusmodi verò hæc esset inhabitatio, id se-
cundo capite, iterata hac sententia & addito προσδιορισμῶν
exposuit. Quomodo enim in Christo tota plenitudo divinitatis
inhabitat? Respondet Apostolus: σωματικῶς, respiciens ad uni-
onem animæ & corporis, quæ talis est, ut anima per se ἀόρατος
nihilominus ex operibus suis, quæ per corporis instrumenta
edit, animadvertatur. Sic enim Augustinus, Athanasius, Theo-
doretus, Oecumenius & alij rectè vocem σωματικῶς interpreta-
tati sunt.

I X.

Neque satis erat Apostolo, quin & illud adjicit: In ipso
absconditi sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ.

X.

Neque mirum quod hoc pacto Spiritus Sanctus filij Dei
ἐν αὐτῷ πρῶτον nobis explicat. Siquidem aliter ipsam percipere
non possumus, quam quod Deus manifestatus est in carne,
justificatus Spiritu, visus angelis, annunciatus gentibus, creditus
in mundo, assumptus in gloria. 1. Tim. 3. Hæc est illa

φύσις αὐ-

Φανέρωσις & ἀποκάλυψις, in quam & angeli tanto nobis sapientiores, quanto sublimioris naturæ, gestiunt παρακίψου, hoc est, oculis proclinatis & transversim quasi per rimam ac transennam tuentibus introspicere.

XI.

Vnum hoc est argumentum, quo ostenditur unionem personalem aliter definiti non posse, quam per communicationem proprietatum. Secundum suppeditat orthodoxa Patrum consuetudo. Nam pia & sancta Antiquitas mysterium unionis semper ita explicuit ut ex idiomatum communicatione censendum proponeret. Vnde illa capud Theodoretum dial. 3. regula: τὸ τῶν φύσεων ἴδια κοινὰ γέγονε τῶν προσώπων: quam Lutherus ita reddit in 53. cap. Iesaiæ. **IPSA COMMUNIO VNIT DVAS NATURAS IN VNAM PERSONAM, ET IN VNVM FILIVM,**

XII.

Testimonia accumulare non volo, cum eorundem postea mentio facienda sit, sed instar multorum sit nobis Ephesini concilij decretum, in quo damnatus est Nestorius, eo quod negasset proprietatum communicationem.

XIII.

Censent hodie Calviniani, Nestorium ideo damnatum esse, quod duas Christi personas docuisset. Sed injuriam faciunt historiæ. Nam Nestorius constanter asseruit, vnam esse Christi personam, non duas, ut in secundo tomo Conciliorum pag: 664 scriptum est, quod etiam D. Augustinus epistola 95. & 96. & Tripartita historia lib. 11. cap. 5. & D. Lutherus in libro de Concilio & Ecclesia, Tomo V Vit. germ. 7. f. 530, testantur. Cum enim contra Arrianos statueret Christum esse verum Deum, & eundem quoque verum hominem in vna minimeque divisa, aut in duabus Personis confiteretur: Nihilominus

Nestorii
hæresis
quæ fuerit,
sit.

Nihilominus negabat Mariam esse Θεολόγον, negabat Deum esse bimestrem & trimestrem, negabat Deum à Iudæis esse crucifixum. Noli, inquit, gloriari, Iudæe, non Deum, sed hominem crucifixi. Quæ omnia ostendunt, quod unitatem personæ affirmârit, sed proprietatum communicationem damnârit.

XIV.

Ephesini verò Patres non tam hoc ipsum Nestorij dogma, quam id, quod necessaria consequentia ex eo colligitur, anathemate percusserunt, & Nestorium in fundamento statuere asseruerunt, duas esse Christi personas: cum tamen hoc Nestorius non docuerit, ideoque sibi injuriam fieri conquestus sit.

XV.

Ac quod consequentiam illam Nestorio imputârunt Patres, id quidem rectissimè factum: quod verò causam eius & ipsum dogma Nestorij non luculentius examinârunt & anathematismis inseruerunt, id aliquam concilij oscitantiam arguit.

XVI.

Interim illud habemus, quod nostri est instituti, quod nimirum illi orthodoxi Patres probè intellexerint, unionem personalem absque idiomatum communicatione salvam esse non posse.

XVII.

Sic enim colligebant. Qui negat proprietatum communicationem, ille diuidit Personam Christi: id quod exemplo Pauli Samosatani manifestum est, de quo ita scriptum reliquit Theodorus Presbyter: Paulus quidam iisdem, quibus Manes, temporibus, Samosatenus quidem ortu, sed Antiochiæ Syriæ Antistes, Dominum impiè dixit nudum esse hominem, in quo Deus Verbum, sicut & in singulis Prophetis, habitauit: ac proinde duas naturas separatas, & citra omnem prorsus inter se communicationem

nionem in Christo esse: quasi alius sit Christus, alius Deus verbum in ipso habitans.

Nestorius autem eodem modo, quo Paulus Samosatenus, negat proprietatum communicationem. Ergo Nestorius eodem modo, quo ille, Personam Christi distrahit.

XVIII.

Accedit denique etiam ipsa ratio, quæ evincit, unionem non aliter, quam per idiomatum communicationem describi posse. Nam in omni relativo definiendo tria necessariò spectantur. Primum enim duo, minimum, requiruntur subjecta, seu substantiæ in quibus relatio insit: sicut unio duarum naturarum est unio. Secundo necesse est ut habeatur fundamentum & terminus. Ita hic fundamenti rationem habent duæ naturæ, & terminus est persona. Ideo enim ununtur duæ naturæ, ut Personam Christi absoluant. Tertio præter subjecta fundamentum & terminum necessarium est quoque correlativum & relativi quasi reciprocatio. Cum itaque unio in relatione sit posita, eadem ista se hic quoque offerent. Nam ex ratione, qua fundamentum respicit terminum, oritur relatio quæ est unio duarum naturarum in unam personam. Vice versa καὶ ἀμοιβῆν & ἀντιστοφῆν, sine qua nulla est relatio, ex affectione termini ad fundamentum resultat correlatio. Nam si te vicissim à Persona conuertas ad naturas oritur communicatio, eò quod persona, in qua tanquam in principio & communi termino duæ naturæ conveniunt & ununtur, duabus naturis communis est.

XIX.

Neque hæc ratio eo trahi vel potest vel debet, quasi in nuda χεῖρα & relatione posita sit vel naturarum unio vel communio. Nam præterquam quod relativa id, quod sunt aliorum sunt, & explosa jam pridem illa relativorum descriptio, quod dicuntur

C

cantur

cantur aliorum esse : nota insuper quoque illa in scholis trita par-
titiō, quod alia sint relata secundum esse, alia secundum dici. Pro-
inde unio & communio ut relatum & correlatum necessario co-
hærent : & ut communio cogitari non potest nisi subternatur
unio, ita vicissim unio *ένωσις* ne ratione quidem concipi potest,
nisi inferatur communio. Quo magis miror Calvinistarum stupor-
em & hebetis vel potius à diabolo excæcati ingenij barbariem
quod non modo unionem sine communicatione fingunt, quæ
ne cogitari quidem potest : Sed quòd communionem unioni tan-
quam *έναντιον & αντίφατικόν* opponunt, cum sit *αίτια καίως έπεί-
μενον* ex relativorum natura.

XX.

Est autem hæc relatio non *ονοματώδης*, sed maximè realis.
Totus enim *λόγος* in assumpta Carne habitat, non *ένεργεία*, ope-
ratione, sed *ένούσια* divina essentia : non *χέλικώς* respectivè, sed
ένωσιώδώς essentialiter, ut Oecumenius in cap : 2, Col. annotavit.

XXI.

Sed non desunt, qui dicant, esse quidem communicatio-
nem in unione personali, sed illam non naturis intercedere, ve-
rum utramque naturam sua propria communicare Personæ.
Quibus equidem hoc argumentum considerandum propono.
Persona Christi aut est quiddam præter duas naturas unitas, aut
non est. Si sit quiddam diversum *έν έτέρων έτερον*, necessario
sequitur personæ in Christo *δίτλησις*, & personarum in S. Trin-
itate *τετραρότης*, quaternitas. Ergo persona Christi est **IPSAE
DVAE NATURAE VNITAE** : jam si hoc certum
est, ut est profecto certissimum, vana & inepta est *φλυαρία*, qua
quidam dicunt, naturas communicare sua propria personæ, nec
que

110

que tamen ullam ipsis naturis intercedere communionem. Aliterutrū enim fateantur oportet: personam aut esse ἐξ ἐτέρων ἑταίρων, aut αὐτὰς τὰς φύσεις ἡνωμένας. Si non illud: ergo hoc. Et si hoc: Ergo ipsis naturis, quatenus unitæ sunt, intercedit communicatio, solvant hanc nucem si boni sunt acuti nimirum illi Logici Calviniani.

CAPUT TERTIUM

De duplici consideratione naturarum in Christo.

Thesis 1.

Ex hac ratione etiam illa emergit naturarum in Christo duplex consideratio, quam Calvinistæ hæcenus obstipa sua ruditate & ἀλόγῳ λόγικῇ capere nequiverunt. Quæro enim quid in genere sit unio? nonne est duorum pluriumve εἰς ἓν copulatio? Quid verò illud ἓν, nonne aut intrinsecum aut extrinsecum principium ἐνοποιῶν? De externo hic non dicam, sed internum assumo. Quando res duæ, verbi causa anima & corpus uniantur, quid quæso illud est, in quo conveniunt? Homo est. Homo enim in anima & corpore consistit, ac licet νόημα & species diversa sit ab anima & corpore, tamen subiecto nihil aliud est quam essentia composita ex anima & corpore. Iam anima & corpus nonne duplicem habent considerationem? unam absolutam κατ' ἀφαιρέσιν, quatenus in sese sunt ὅπερ ἐστὶν, & alteram κατὰ συνθεσιν, quatenus in mutuo complexu sunt. Priore enim modo anima est essentia αὐλὸς ἢ ἀσώματος per se subsistens viva, posteriore est ἐπιπέχημα & forma corporis: & corpus similiter priore modo est substantia composita corporea, posteriore est ὄργανον animæ.

C 2

Quod

Quod si hic non duplex anima nec geminum corpus duplici consideratione infertur, quid est quod in Persona Christi clamitant naturas vel proprietates geminari, si aliter atque aliter sese habere doceatur?

II.

Quis enim ita cœcus & ab omni ratione alienus est, qui non intelligat earum rerum, quæ non mutuo respectu sibi devinctæ sint & inter quas nulla relatio intercedat, nullam posse unionem esse? Quam diu diversæ res manent diversæ & una quælibet per se absolutè id quod est, haud quaquam uniri possunt. Quatenus autem in mutuo sunt complexu, eatenus uniantur. Sed hoc pacto res illæ unitæ habent se, ut relata. Relata, inquam, non verbalia, nam hæc jam pridem explosa sunt, sed realia. Et eadem tamen relata ex absolutis orientur oportet. Hinc vides quod eadem subiecto & numero res partim in sese considerentur & sint id ipsum, quod sua natura sunt, partim relatè considerentur & sint hoc ipsum, quod aliorum sunt.

III.

Eodem pacto duæ naturæ in Christo eò quod sunt hoc ipsum, quod quælibet in se est, fundamentum unioni suppeditant, quod autem in mutua sunt *περιχωρήσει* & arctissimo complexu, & caro est propria λόγος Caro, & vicissim λόγος est carnis assumptæ hypostasis, terminus inde unionis emergit, qui aliud nihil est, quam mutua *ἀνιδόσις*, ut eam Damascenus jam olim nuncupavit, seu *κοινωνία* ut vilitate vocamus.

IV.

Communitio naturarum intercedit.

Atque ea *ἀνιδόσις* seu *κοινωνία* hac ratione propter unionem & mutuum complexum ipsis naturis intercedit, ut planè à Damasceno traditum libro 3. cap. 4. *ἕτός ἐστιν ὁ τρόπος τῆς ἀντιδόσεως, ἐκατέρως φύσεως ἀνιδιδόσης τῆ ἑτέρας, τὰ ἴδια διὰ τὴν τῆς ὑπὸ*

ὑποστάσεως ταυτότητα, καὶ τὴν εἰς ἀλλήλα αὐτῶν περιχώρησιν. Hoc est: Iste est modus mutuae & alternatae attributionis, quod vna natura communicat alteri sua propria propter Personae identitatem & mutuum complexum.

V.

Quando vero docemus aliter considerari naturas in sese, aliter ratione vnionis, non debet inferri, quod Calviniani faciunt, naturam humanam per se seorsim & separatam subsistere. Nam humana Christi natura non est *ιδιοσύστατος*, quae per se subsistat, ut ait Damascenus.

V I.

Neque prius humana natura & postea assumpta fuit. Sed, ut eleganter dicit Damascenus, ἅμα σαρξ, ἅμα θεῶ λογος σαρξ, simul caro, simul Dei caro: simul caro animata anima rationali & intellectu, simul Dei Verbi caro animata anima rationali & intellectiva. lib. 3, cap. 2.

V II.

In quam sententiam praecclare quoque Beatus Gregorius de conceptione Christi loquitur. Angelo nunciante & Spiritu Sancto adveniente mox verbum in utero, mox intra uterum verbum caro. Atque hac distinctione utrumque scopulum, *σύγχυσις* videlicet & *διαίρεσις*, ut Theodoretus nominat dial. 2, evitabimus quoties de persona Christi loquemur.

CAPUT QUARTUM

De abstracto & concreto.

Thesis I.

Antequam plura de communicatione differamus, prius istud etiam hoc loco explicandum est, quid in hac disputatione abstractum & concretum nominetur.

C 3

Id

II.

Id verò ex allata & explicata duplici consideratione naturarum in Christo commodè exponi potest.

III.

Et principio, quod ad ipsa vocabula attinet, non sunt illa quidem in sacris literis totidem syllabis annotata, sed scholastici Theologi docendi causa è Philosophorum scholis ad theologiam traduxerunt. Neque id vituperandum, sed potius commendandum est. *εἰ γὰρ τὰ πράγματα ὁμολογῶμεν, τί δήποτε φεύγομεν τὰ ὀνόματα,* ait Theodoret. dial: 2.

IV.

Abstracti Abstractum itaque τὸ ἀφρημένον vel τὸ κατ' ἀφαίρεσιν est relativum & respectu concreti sic appellatur. Quemadmodum viceversa concretum respectu abstracti nominatur.

V.

Vnde hæc Regula diligenter notanda, quæ multas disceptationes de abstracto & concreto dirimet: Quodocunque loquimur de abstracto, videndum est, cuius concreti abstractum sit, & contra. Nam pro diverso respectu nihil impedit, quominus idem sit & abstractum & concretum

VI.

Ineptissimi verò sunt Calviniani & qui suam impiam doctrinam Philippi nomine velant, qui abstractum definiunt per nomen substantivum, concretum per nomen adjectivum. Quasi verò non etiam abstractum aliquando adjectivo noteatur, vt cum Deus solus bonus & omnipotens appellatur, & quasi nullum concretum substantivo efferatur. Quid enim magis concretum

tum, quam corpus naturale ex elementis compositum, neque tamen idcirco non per substantivum nomen notatur. Sed isti homines omnem rerum doctrinam in nudam grammaticam & phrasin, cui res nulla subsit, commutarunt.

VII.

Philosophis & Theologis istud grammaticum nugamentum ne per somnum quidem unquam in mentem venit, ut in Philosophia & Theologia, ubi res tractandæ sunt, de abstracto & concreto tanquam nudis vocabulis grammaticorum more garvirent. Abstractum itaque & concretum res sunt & ὄντα non sunt nuda λεγόμενα & λέξεις absque re. Verba enim sine rebus sunt sonora **MENDACIA.**

VIII.

Est autem abstractum non nuda appellatio, sed **RĒS** per sese, in sese, suaque natura, καὶ αὐτό, secundum suam definitionem, qualis ipsa per sese apta nata est, qualisque à Deo cum suis naturalibus seu essentialibus proprijs constituta, & qualis animi consideratione percipi & à concrectione accidentium & respectum abstrahi potest. Philosophi nominant τὸ καὶ αὐτό, τὸ ὅπερ ὄν, τὴν εἶσιν, τὸ εἶναι, τὸ τί ἦν εἶναι, τὸν λόγον τὸν τὸ τί ἦν εἶναι δηλώντα, & **QVIDDITATEM.**

IX.

Ratio appellationis inde ducta, quod cum duæ sint facultates

facultates cognoscendi in homine, ὁ νῦν mens, & ἀλόγησι sensus
quarū illa τὰ καθόλου καὶ τὰ εἶδη, hęc τὰ καθ' ἑκάστα singularia per-
cipit, quod, inquam, res per sese, quales in sua natura sunt, nes-
queant sensibus externis deprehendi, sed sola νοήσει & animi
pervestigatione, quæ in ipsam intimam rerum naturam sese pe-
netrat, intelligantur,

X.

Mens enim rem ad contemplandum propositam ab omni
concretionem accidentium sejungit & ipsam nudam ejus quidditas
seu naturam percutatur.

XI.

Abstrahi
& avulsū.

Aliud est abstractum τὸ καθ' ἀφάρασιν, & aliud avulsum
τὸ κεχωρισμένον. Nam abstractio fit τῇ νοήσει mente, ubi res ma-
net integra: avulsio autem fit in re & τῷ νοητῷ πράγματι, qua
res destruitur & in partes distrahitur.

XII.

Abstrahere
& diuidere

Aliud porro est abstrahere & distinguere. Abstrahimus
enim cum τὸ αὐτό eandem rem mente ab omni concretionem se-
junctam in sua propria essentia consideramus, ut cum in eodem
corpore composito materiam primam mente pervestigamus. Di-
stinctio verò fit in pluribus, cum res diversas differentijs separa-
mus: ut cum in corpore composito partes similes à dissimila-
ribus, humores à Spiritibus, ossa à carnibus discernimus, est dis-
tinctio, cum vero in iisdem vel carnibus vel ossibus vel cæteris
materiam primam & formam contemplamur, est abstractio.

XIII.

Quomodo
extant ab-
strakta.

Ac licet abstracta nunquam seorsim per se in rerum natu-
ra existant, sicut Plato suas ideas seorsim existere finxit: Tamen
non sunt nudi conceptus animi, sed ejusmodi νοήματα, quorum
esse partim in rebus ipsis compositis & complexis, partim in
mente

mente inest. Vana enim est omnis *ἰδέσθαι*, cui non subest res ipsa. Verbi causa. Hominem oculis videre non potes. Quod autem homo sit animal rationale, id animo percipis. Et hic conceptus animi non est inanis *φαντασία*, sed revera in rerum natura existit animal rationale. Quamvis enim non potest seorsim tibi ostendi, ut animal rationale oculis cernas & manibus comprehendas, tamen datur in individuis: & dato hoc singulari homine, datur simul homo. data hac materia ligni aut lapidis, simul exhibetur materia prima.

XIV.

Satis hoc de abstracto. Iam concretum *ἡ σύνθεσις* & *ἡ σύνθεσις* est res composita & copulata, seu ipsum *ἡ σύνθεσις* *Concre-* quatenus res integra existit, ut singularia & individua. Hic ho- *tum quid* mo, hic lapis, quem oculis vides & manibus palpas. Philosophi *sit.* accuratè distinguunt inter *ἡ σύνθεσις* & *ἡ σύνθεσις* hoc aliquid, quod est singulare & concretum, & deinde inter *ἡ σύνθεσις* & *ἡ σύνθεσις*, quod est intima rei essentia accidentibus & materia vestita, ad cuius contemplationem mentis acumine non sensibus accessus est. Gregorius Nazianzen: apud Theodoretum dialogo 2. concretum nominat *ἡ σύνθεσις* *ἡ σύνθεσις* nominum adiunctionem, quando una natura nominatur, neque tamen per se seorsim intelligitur, sed *ἡ σύνθεσις* *ἡ σύνθεσις* cum adiunctione seu unione alterius. Et ibidem dicit hoc ipsum facere, quod hæretici impingant, quia non possunt distinguere abstractum & concretum.

XV.

Hoc pacto Philosophi abstractum & concretum usurparunt. Vnde liquet quam vani & quam inepti sint in philosophia Calviniani, qui clamitant, Lutheranos abstractum & concretum confundere, se solos distinguere: cum in omnibus suis libris, quid sit concretum & quid sit abstractum, non aliter hætenus Calvinistæ definiuerint, quàm quod abstractum sit no-



men substantivum & concretum nomen adjectivum. Pulcella pre-
fecto & Theologis tantis tantisque Philosophis digna gram-
matica.

XVI.

Constat hinc etiam, quopacto abstractum & concretum in
persona Christi locum habeat. Nam quando naturas per se in
se suis naturalibus & essentialibus proprietatibus apud ani-
mum considero, tum abstractum nominatur. Quando easdem
naturas in mutua illa περιχωρήσει & complexu personalis unionis
specto, tum concretum est. Atque hæc nobis à D. Luthero
tradita & commendata abstracti & concreti natura.

XVII.

Præinde concretum in Christo dupliciter dicitur. Primum
enim tota persona, & ut Damascenus loquitur, τὸ σωμαφόρον
ρον, utraque natura simul accepta, & ἡ συνθετος ὑπόστασις, persona
ex duabus, in duabus naturis constans & ipsæ duæ naturæ per-
sonaliter unitæ. Deinde non minus concretum est, quando al-
teram naturam cum adjunctione & intimo complexu alterius
cogito aut nomino. Concretum est, caro Christi, humana
natura in hypostasi τῷ λόγῳ considerata, licet enim voce
abstracti indigetur, tamen προσδιορισμὸς personæ concretam
innuit.

XVIII.

Et idem tamen etiam alio respectu est abstractum. Si enim
conferatur cum tota persona constante duabus naturis, est ab-
stractum.

XIX.

Atque hæc est illa, quam nostris exprobrant Antagonistæ
abstracti & concreti confusio, quam culpam ipsi potius incur-
runt. Cum enim non animadvertant abstractum pro diverso re-
spectu aliter atque aliter sumi, & idem modo abstractum modo
concretum esse posse, inscitè abstractum cum concreto commis-
cent. μή γὰρ ἐκινήσει διαφύλαξι. Exemo

XX.

Exemplo hominis res plana fiet. Homo est species mente concepta & abstractum. Hic homo est concretum: Et in hoc concreto corpus respectu integri hujus hominis est abstractum: idemque corpus organicum respectu elementorum, ex quibus conflatum est, & ratione materiae primae & formae est concretum. Anima similiter ratione integri hominis est abstractum, ratione ea, qua est ἐπιλέχεια corporis, est concretum. Hinc vides quomodo vna eademque res pro diversa consideratione modo abstractum modo concretum nuncupetur.

XXI.

Ac ut ista diversa consideratio non est inanis cogitationum φαντασία, sed res ipsas complectitur: ita quoque non infert rerum distractionem vel abolitionem, sed diligente homine dignam, piam & in docendo necessariam distinctionem.

XXII.

Atque hae quidem de abstracto & concreto hic inferenda fuerunt, quorum usus in sequente disputatione postea patebit.

CAPUT QUINTUM

Quod est qualis sit communicatio idiomatum.

Thesis I.

Nunc ab ista παρεμβάσει ad institutum redeo. Cum enim supra ostensum sit, quod unio Personalis per communicationem idiomatum necessariò definiatur, idque demonstratum ex

D 2 scriptura



scriptura, & ex testimoniis Ecclesiae, & ratione: eiusque rationis consequentia hucusque breviter sit indicata. Jam ordo postulat, ut quid sit communicatio, & qualis sit, breviter indicetur. Nam quod ad species seu gradus communicationis Idiomatum attinet, id alia disputatione proxima tractabimus.

I I.

*Communi-
ne quid
sit.*

Commune itaque, ἡ κοινὸν, est V N V M quiddam, seu R E S V N A, quam plura participant. Verbi causa, commune bonum dicitur, quo multi fruuntur: aer, aqua, terra, communia sunt: communis religio, commune jus, communis liber, ipsa per se singularia sunt, quia verò usu ad plures pertinent, idcirco communia seu publica vocantur. Exempla sunt: Act. 2. Tit. 1. & 3. epistola Iudæ v. 3.

I I I.

*Communi-
catio,*

Cum autem à communi communicatio dicatur: Communicatio ἡ κοινωγία erit Vnius, quod pluribus commune est, in plura illa, quæ id Vnum commune habent, distributio, largitio, collatio. Sic panis benedictus in sacra coena est communicatio, id est, Vnius eiusdemque indivisi corporis Christi in plures distributio, 1. Corinth. 10. & Vnius eiusdemque spiritus sancti κοινωγία, 3. Cor. 13.

I V.

Pluribus definiiri communicatio hoc loco non potest. Postea verò in explicatione graduum seu specierum, uberior & plenior definitio tradetur. Qualis sit idiomatum communicatio, id quoque in genere considerare utile est.

V.

Hic verò iam illa notanda est regula ut vulgatissima, ita & verissima: qualis est unio, talis etiam est communicatio. Relatorum enim eadem est natura & divisio.

V I.

Quemadmodum igitur alia ununtur in universali, alia in singulari & individuo: ita quoque alia est communio universalis, alia singularis. Illam nominat philosophus ἡ μέγιστος, qua spe-

Species communicant & recipiunt definitionem generum, indivi-
dua specierum. Hoc enim est, μετακεοδαγ εν τῷ μεταχορδῶς λόγῳ
Ἰνδὲ κεοδαγ, 4. Top. 1. & 3. 5. Top. 3.

VII.

Præter hanc alia est κοινωνία in singularibus, quando sin-
gularia singularibus communicant. Et hæc fit dupliciter aliàs per
μεθεξιν φυσικῶς quando ex uno subiecto aliquid in aliud sub-
iectum transfertur, ut cum Vinum ex vase uno in aliud effundit
tur: cum candela de candela accenditur: cum plantæ & anima-
lia per μεθεξιν & traducem de plantis & animalibus generan-
tur. Qua de re Philosophus disserit libr. de vita & morte cap. 1.
& hæc est communicatio physica. Alias verò id quod unius sub-
iecti proprium est & manet, nihilominus in, cum & per aliud si-
bi quoquo modo unitum vim suam exerit.

VIII.

Primo modo propria non communicantur: fieret enim na-
turarum abolitio. Nec secundo modo: quia propria suum sub-
iectum egrederentur.

IX.

Sed tertius modus summe necessarius est. Nisi enim in nar-
tura esset eiusmodi communicatio propriorum, universitas re-
rum subsistere non posset. Cernimus hanc ἀνάδοσιν maximè in
elementorum inter se contemperatione. Quod enim elementa
subsistunt & non mutuo sese penitus conficiunt, id fit eius rei grati-
a, quod ea, quæ maximè sunt contraria, habent κοινὸν τι σύμβο-
λον communem aliquam qualitatem, ut appellatur lib. 2. Gener.
& corrupt. cap. 4. Non posset animalis corpus ex quatuor ele-
mentis componi, nisi esset propriorum communicatio. Calidum
enim est proprium ignis, id nisi communicetur sanguini & hu-
moribus cæteris, qui sua natura sunt frigidi & aquæ ἀνάλογοι
profecto animalis corpus non consisteret, lib. 2. de part. an. cap. 3.
Sic anima participat affectiones corporis, & corpus particeps est
affectionum animi, ut testatur præter Aristotelem liber Galeni hoc
ipso titulo. Absque communione verò quæ civitas, quæ domus,
quæ familia constabit.

X.
Atque hæc quidem de communicatione tradunt Philosophi,
quæ ideo ex illorum libris delibanda fuerunt, quia philosopho-
rum est vocabulum, & quia Antagonistæ perpetua ludunt am-
biguitate vocis, & omnem priorum communicationem con-
tra veram philosophiam impudenter & indoctè negant.

XI.
Quod verò ad communicationem priorum in persona
Christi attinet: Supra sanè ostensum est, duas naturas in Christo
non ita unitas esse, quemadmodum tres personæ sanctæ Trinita-
tis unus sunt Deus in una indivisa divina essentia. Proinde com-
municatio quoque non est essentialis, & naturalis, ita ut una na-
tura suam essentiam, & definitionem & proprietates essentielles
alteri naturæ tradat: vel ut utraque natura tertiam quandam
compositam ex utraque naturam participet.


XII.
Neque verò hic locum habet physica illa *μεθεξις*, qua natu-
rales facultates de vno subjecto in aliud traducuntur, ut fit in
propagatione furculorum. Nam divinitatis propria in omnem
æternitatem manent eius propria, neque vnquam humanitatis
propria fiunt, ita ut subjectivè, habitualiter, formaliter aut alio ta-
li modo in humana natura tanquam in subjecto insint: Et con-
tra. Valet enim regula Theodoret, *ἡ θεία σάρκαωτις ἐλευθέρα
προπῆς*. Item, *ἀκέραια μεμένηκε τὰ τῶν φύσεων ἴδια*. dial. 2.

XIII.
Relinquitur igitur naturarum in Christo talis communica-
tio, qua naturæ in sese & per sese manent integræ, & retinent su-
as essentielles definitiones & proprietates, & nihilominus divina
natura & persona *τῶ λόγῳ* particeps est carnis & omnes infirmi-
tates Carnis sibi appropriat Ebr. 2. & contra in, cum & per assum-
tam humanam carnem diuinam suam omnipotentiam exercet,
cui se tota plenitudine divinitatis *ὁ λόγος*
communicavit.

F I N I S.

116
Excerpta ex alijs. VI. Disputat.
q̄r in VII. lib. generat.

Liber totq̄ extat in nra Bibliotheca:



AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560



Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







10A

u

ANCTISSIMO
CHRISTIANÆ
ONCORDIÆ

TIO VNDECIMA

a Salvatoris nostri Iesu Christi

QVE CAPITVM

li duarum naturarum in Christo.

*qui est idiomatum communicatio:
atione naturarum in Christo.*

creto.

e quide a & qualis sit yevixōs

De quibus


DIO SALOMONIS GESNE.

Doctoris & Professoris V Vitebergæ

ad d. 10. Aprilis Anno 1594.

respondebit.

S MULLERVS Havelbergensis.



VITEBERGAE,

Lehmanni, Anno M. D. XCIIII.

